



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

2. De scandalo vitando Matt 18.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

vis salutis, & indumento iustitia circum-
dedit me, quasi sponsum decoratum corona,
& quasi sponsam ornatam monilibus suis.
Fervor proficiendi in eximia charita-
te, & omnimoda perfectione.

De scandalo vitando. Matt. 18.

II.

I. **Q**ui scandalizaverit unum de pusillis
istis, qui in me credunt, expediat ei
ut suspendatur mola asinaria in collo eius,
& deus ergatur in profundum maris. Va
mundo à scandalis Va homini illi, per quem
scandalum venit. Cui non tinniant am-
bæ aures, dum æternam Veritatem sic
audit detonantem in eos, qui vel per-
verso consilio, vel pernicioso collo-
quio, vel pravo vitæ exemplo, vel
quovis alio modo innocentes corrup-
punt, ad sui imitationem trahunt, ad
hæc vel illa flagitia pertrahunt, à me-
liore bono auocant, in fervore spiritus
impediunt! O quàm horrendum est,
vel unum prædicto modo scandaliza-
re! quanto magis horrendum plures,
aut familiam & congregationem inte-
gram dissolutionis vitæ exemplo, aut
strictioris disciplinæ contemptu infi-
cere, secumque in barathrum æternæ
damnationis trahere! Horror cuius-
cunq; scandali, zelus vitæ exemplaris.

I. I. Si

II. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum & projice abs te. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te. Sicut cuius cauendum, ne alios scandalizet, sic etiam aduigilandum, ne se vel à seipso, suisque prauis concupiscentijs, vel ab alijs scandalizari, peruertere, in quoduis peccatum induci, à Deo separari, & à recto perfectionis tramite dimoueri vnquam sinat. Quare omnia potius, quantumuis sibi carissima dimittat, abdicet & proscribat oportet, quam vt ijs se in diuini Numinis offensam aut salutis discrimen pellici permittat: quod fiet oculos aliosque sensus cautè custodiendo, affectus prauos refrenando, intellectus curiositatem pertinaciamque; voluntatis reprimendo, amicos, socios, aliosque, quantumuis instar manus, pedis, oculi, nobis vtilis, si à Deo & perfectionis studio nos auocare presument, à nostra familiaritate remouendo. An non multò satius est hac ratione spiritualiter sibi manus, pedes abscindere, oculosque eruere, quam cum iisdem æternæ damnationis maledictum incurere! Mortificatio sensuum, passionum, animæ potentiarum, fuga prauæ & perniciosæ familiaritatis.

III. Vi-

III. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. dico enim vobis, quia Angeli eorum in caelis vident semper faciem Patris mei, qui in caelis est. Suauissimum & efficacissimum suggerit medium & motiuū cauendi scandala paruulorum, videlicet iugem memoriam Angelorum tutelarium praesentium. Quis enim quaedam illorum scandalizare aut contristare auderet, si praesentem eius Angelum, à quo coram iusto Iudice Deo ideo sit accusandus, viuæ fidei oculis cerneret? Imò quis se a quocunque seductore ad peccatum quoduis induci sineret, si praesentiae custodis sui Angeli meminisset! Horror scandali, & cuiusuis peccati ob praesentiam Angelorum.

De Christo à Samaritanis non recepto. Luc. 9.

III.

I. **D**UM completerentur dies assumptionis Iesu, & ipse faciem suam firmavit ut iret in Ierusalem, & misit nuncios ante conspectum suum: Et euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum ut pararent illi. Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalem. Quanto ardore ab æterno Filius Dei desiderauit venire in mundum, ad assumendam carnē

Qq

HO-